



BIBLIOTECA
COMUNALE
DI TRENTO



UNIVERSITÀ DEGLI STUDI
DI TRENTO
Dipartimento di Lettere e Filosofia



FONDAZIONE
CARITRO
CASSA DI RISPARMIO DI TRENTO E ROVERETO

PIBRAC GUY DU FAUR SEIGNEUR DE, *Oratio habita a Guidone Fabro oratore Caroli Galliarum regis christianiss. in generali congregatione, & subsequenter. Responsum Synodi in admissione oratorum eiusdem regis christianiss. datum in sessione quarta sacri Concilij Tridentini sub Pio pp. IIII. IIII. iunij M.D.LXII.*, Riva del Garda, Pietro Antonio Alciati (Riva del Garda, Jacob Marcaria), 1562.

Esemplare digitalizzato:

Trento, Biblioteca comunale, T o op f 112

LINK: <https://bdt.bibcom.trento.it/39>

[BDT – BIBLIOTECA DIGITALE TRENTINA](#)

progetto STABAT – *Stampe antiche Biblioteca comunale di Trento*



COMUNE DI TRENTO



STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* è un progetto concluso, cofinanziato dalla Fondazione Caritro (“Bando Archivi 2014”), dalla Biblioteca comunale di Trento e dal Dipartimento di Lettere e Filosofia dell’Università di Trento; gli altri partner del progetto sono la Soprintendenza per i beni storico-artistici, librari e archivistici della Provincia Autonoma di Trento e l’University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All’interno di Stabat sono state digitalizzate e descritte tutte le edizioni stampate in Trentino nei secoli XV-XVII che si conservano presso la Biblioteca e l’Archivio storico del Comune di Trento. Ogni digitalizzazione è accompagnata da una descrizione della stampa; tutto il materiale è liberamente consultabile sulla *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

In questo file le immagini hanno avuto in trattamento OCR e pertanto si possono fare ricerche testuali; le immagini presenti sul sito, dove si può trovare una descrizione completa dell’edizione, hanno invece una qualità maggiore.

Le immagini presenti nella *Biblioteca Digitale Trentina* sono rilasciate con licenza di Pubblico dominio, il presente PDF è distribuito con licenza Creative Commons Attribuzione – Non commerciale – Non opere derivate 3.0.

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* is a project that was successfully concluded thanks to the support of a group of partners, namely the Caritro Foundation (“Bando Archivi 2014”), Trent Civic Library, the Department of Humanities of the University of Trento, as well as the Superintendence for Architectural, Landscape, Historical, Artistic and Ethno-anthropological Heritage for the Province of Trento and the University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All the editions belonging to the Library and the Civic Historical Archive that were printed in Trentino during the XV-XVII centuries have been digitised and described. As a result, each digital copy is accompanied by a record with specific data regarding the printed book, and is freely available to be consulted on *Biblioteca Digitale Trentina* (<http://bdt.bibcom.trento.it/>).

The images belonging to this file are OCR-converted, hence the text of this edition can be electronically searched. The images available on the website, on the contrary, have a higher resolution and are accompanied by a complete description of the edition.

The images available on the *Biblioteca Digitale Trentina* are public domain files; this PDF is available under the Creative Commons Attribution – Non-commercial – No Derivative Works 3.0 License.

Nice T.C.F. 126

C. M. H. 150



BIBLIOTECA
COMUNALE
TRENTO

G
2 -op
f
127

BIBLIOTECA COMUNALE
TRENTO



ex libris



K 2412921

D 2412859

5tcl

T 0-op f 112

ORATIO HABITA

A GUIDONE FABRO ORATORE
CAROLI GALLIARVM REGIS
CHRISTIANISS. IN GENERALI
Congregatione, & subsequenter.

RESPONSVM SYNODI IN
ADMISSIONE ORATORVM EIVS-
*dem Regis Christianiss. datum in sessione quar-
ta sacri Concilij Tridentini sub Pio. PP.*

IIII. IIII. Iunij. M. D.

LXII.



R I P A E:

AD INSTANTIAM Petri Antonii Alciati:

M. D. LXII.

101

ORATIO HABITA

A QUONDAM BARRIBUS

IN ANNO DOMINI MDCCLXXII

IN CANTONIA

IN CANTONIA



IN CANTONIA

66

ORATIO HABITA A GVIDONE FA-
BRO ORATORE CAROLI GALLIAE
RVM REGIS CHRISTIANISS.
in Generali Congregatione.

LEGATIONIS nostræ testimonium, Patres am-
plissimi, habetis ex literis quas uobis nunc a Christia-
niss. Galliarum Rege Carolo publice reddidimus :
L causas uero eius, quæ uariæ sunt, & maximæ, quibus
non modo optimi Principis animus in Christianam
Rempub. ostenditur, sed etiam singulare eius de uirtu-
te, ac pietate uestra iudicium, quod ita nunc nobis ne-
cesse est, & cogit suscepti muneris ratio, exponemus paucis, ideo est,
inornate, nude, simpliciterque. hi enim apud graues, ac sapientes uiros
agi oportet, & quidem si, quod magnopere uolumus, & obsecramus,
Carolum Henrici Regis filium esse memineritis, & Francisci nepotem,
non ualde nostrum, ut opinor, in explicandis legationis huiusce ratio-
nibus, causisue, sermonem requiretis Ad auguria enim illa Francisci,
& Henrici nomina, facile unicuique uestrum occurret illico, ecquid offi-
cii, ecquid in his Christianis conuentibus, oneris nobis impostum sit,
ecquarum rerum postulata afferamus, ab eo uidelicet legati, qui pater-
næ, auitæque laudis non æmulus modo, atque imitator, sed etiam hæ-
res, & successor, nulla in re magis unquam putauit sibi esse elaboran-
dum, nihilque uehementius contendit, quam ut opportuno loco, &
libero, neque conuentus infedo, iusta quædam Synodus cogeretur,
Sacrosanctum Concilium conuocaretur, quam ut Dei optimi Max.
auspicio, publici Christianorum omnium conuentus, iure, legitimeque,
peragerentur, quam denique: ut eæ opiniones, quæ in Christiana Re-
pub. controuersæ factæ sunt, unum in sensum, ac Decretum, ex aucto-
ritate oecumenici cuiusdam Concilii aliquando reducerentur. Is fuit
profecto Regis animus iam inde a primo aditu & ingressu Principatus
sui. Quos autem huius studii, ac iudicii, perpetuæque Rempub. Chri-
stianam uoluntatis, citare testes uerissimos Carolus Rex poterat, eo-
sdem hodie uoluit hic, sibi ad Concilium legatos adesse. Adest enim
Lodouicus Sangelasius, gallici ordinis eques Illustrissimus, & in fe-
cretius, Principis Consilium ob singularem uirtutem cooptatus,
qui uariis antea legationibus sanctus honorifice, nuper ad Pium

69
quartum Pont. Max. propterea missus est, ut ipsum Pontificem, currentem quidem sponte sua, ad Concilii procuracionem, acrius incitaret, eiusque animum Religionis studio incensum, uehementius (si fieri posset) inflamaret: Galliā autem nostrā recentia uulnera, quæ sine summo dolore tractari nequeunt, ita nudaret, ita detegeret Pontifici, ceu Parenti bono. Ut tamen ea ipsa, ne obdici quidem alia ratione, nisi libero Concilio, nedum curari penitus, aut sanari posse contenderet. Adest quoque Arnoldus Ferrerius, in Senatu Parisiensi Præses, qui altero fere die post Francisci secundi mortem, a Carolo fratre, ad eundem Pont. allegatus, nihil potius in mandatis habuit, quam ut Concilium, idest, conuentum Christiani nominis uniuersi, indici postularet, eiusque occasiones omnes, quoquomodo urgeret, admoneret etiam uerendum esse, ne ex nostris hominibus quamplurimi, quos dudum Concilii futuri spes, ægre in officio retinebat, diurna expectatione fatigati deficerent a nobis, & ad eas partes tranderentur, quos nomini, persuasio ni Romana maxime aduersarias esse scimus, tantumque decederet de grege Domini, magno non solum Galliā, & totius Christianitatis incommodo, uerum etiam eorum, ad quos ea res potissimum pertinebat, qui occurrere malis dum poterant, noluerunt, dedecore, atque infamia. Hæc apud Pont. non semel acta, ut cernitis, si aliud profecto nihil christianissimi tamen Regis, de publica pace constituenda curam, de sancienda inter omnes ordines concordia sollicitudinem, de sanandis Ecclesiā uulneribus sententiam, atque iudicium cuius facile probatura sunt, grata quidem, ni fallor, hominum recordatione, cum laude ad omnem posteritatis memoriam peruenient. Neque uero solus Pontifex de Concilio a nobis sæpe interpellatus est, sed etiam Ferdinandus inuictis, & augustis Imperator, Philippus quoque Hispaniarum Rex Maximus atque adeo omnes europæ Christiani Principe, & Respub. omnes, inquam, Reges, ut ad rem præstantissimam, & utilissimam, tam necessario tempore animum adiiicerent, ad constituendam scilicet unanimum de Religione consensionem, & restringenda Ecclesiā incendia, continuis legationibus, quotidianis precibus quanta fieri potuit, maxima obtestatione, sepe sumus cohortati, Hic ego uos appello, quicumque adfuit Illustris: atque amplissimi Regum, & Rerumpub. Legati. Quod si me ipsum quoque actor, citare testem debeo, liquido iurare possum de ea re, quæ mihi pro eo munere, quo in Gallia fungor, æque comperta, & cognita est atque alteri cuique præsertim cum ipsa editis Regiis, & publicis nostris tabulis contineatur: sed facio imperite,
ne di-

90

ne dicam insolenter, qui in re minime dubia, & obscura, artificiosas colligo probationes, potissimum apud uos, quibus nihil tam certum est, nihil tam fixum, nihil tam ratum, nihil tam denique ad ueritatem omnino persuasum, quam id, in quo uideoꝝ hactenus tantopere laborasse. Quamobrem transeo nunc ad ea, quæ mihi pauca, sed necessario dicenda sunt.

Magno Patres Amplissimi, & incredibilis est expectatio, quam de se hic sanctissimus conuentus, & confessus uester, in animis mortalium excitauit. Non loquor ad gratiam, neque enim debeo, nec eos unquam uiros bonos putauit, qui ad istas artes essent eruditi, sed quod in laudibus uestris uerissimum esse censeo, id quominus eloquar, pudore, & uerecundia uestra minime debeo prohiberi. Pergam igitur, ut cœpi dicere. Præclarum est, & pene diuinum, quod a uobis expectant homines. Sic enim existimant uos eos, qui non uestris quidem, id est humanis uiribus, sed afflato spiritu diuino, per Iesum Christum, religionem nostram, tot in eam inuectis opinionibus sauciam, rescire, & recreare, qui Ecclesiam Dei, per hosce quinquaginta annos, contrariarum opinionum, quasi uentorum tempestate iactatam, in portu collocare, qui denique in his pugnantium inter se doctrinarum fluctibus, statuere optime possitis, quid dignitas Ecclesiæ, & quid ipsa temporum ratio postulet, equidem humana imbecillitate fortasse, & aliqua profectorum ecclesiæ incuria, uel etiam, ne quid grauius dicam, præpostera pietate irrepsisse in Ecclesiam, res nonnullas antiquatione, abrogatione, uel moderatione dignas, fateamur necesse est, sed quemadmodum ii homines compri-mendi mihi semper uisi sunt, qui arbitrato suo, uel potius libidine, sine auctoritate, sine ullo Decreto, ceremoniarum omnem poenitus rationem, quæ ipsa comes est, & administra Religionis, conuellentes, atque ob id in pacata Repub. tumultuantes, impium quemdam cultum ritusque nouos induxerunt: sic contra a nobis peccari fortasse potest, dum omnia, quæ sæculis muniuntur, & longa uetustate, mordicus retinenda esse putamus, neque satis spectamus, quid inclinatio rerum, quid momenta temporum, quid publica quies postulet. Nonnulla, atque haud scio an uerius dixerim, multa communi concordix permittenda sunt, neque quisquam a dignitate sua, uel constantia alienum putare debet, aliquid alteri condonare potius, quam obstinatione rectæ sententiæ, tantam inter Christianos dissensionem alere. Sed uos, quam de mitigandis iis, quæ circa Religionem inoleserunt controuersis curam, & cogitationem suscepistis, eandem nisi re perfecta, & absoluta, nunquam abicietis: Hæc spes reliqua nobis

91
est, quæ bonorum mentes hominum, cogitationesque sustentat. Pug-
nabit scio, perpetuus ille humani generis hostis, nihilque non aget,
ut uos a cæpto opere deterreat, ut hos uestros ad rem omnium præstan-
tissimam, & sanctissimam impetus frangat, ut honestos eludat cona-
tus uestros, ut auocet, ut abducat, uos ab instituto, ab officio: di-
fidis quippe, ac diuortis nostris, quibus excedimur, & extabescimus,
ille alitur, ille pascitur uelut suauissimo cibo: egregius præterea scele-
rum artifex est, & optimorum interturbator consiliorum: Quoties,
quæso, ita uobis obloquetur? heu stultos, & frustra susceptos labores,
quid aliud, tot maris terræque spatia emensi, præter inuidiam, &
paupertatem domum reportabitis? Quo nutis nunc præcipitis? Quod
aliud hic agitis, quam ut reuocata, quæ bene sepulta iacebat prisca il-
la, & rigida ueterum Patrum disciplina, minus posthac laute, mi-
nus beate, minus feliciter, minusque tranquille uitam degatis in ocio?
Ne in principium scilicet aulas liceat penetrare, ne splendide æpula-
ri, ne magnifice habitare, ne regio comitatu, & ornatu incedere, ne
iis denique frui uoluptatibus, quæ suauissimæ sunt sine quibus uita om-
nis, & ingrata & iniucunda solet esse. Ergo paruo contento uiue-
re posthac oportebit, ergo uni sacerdotio, tanquam scopulo affixos
inhærere, monendo, suadendo, largiendo, alienis semper inferuire
commodis, quid concionari de loco superiore? quid meditantes tam
cito senescere? quid curis, & uigiliis absumpto corpore in ipso ætatis
flore immatura morte concidere? Hæc aguntur per uos sedulo, hæc
acerbæ uitæ, munerumque uestrorum officia, obsoleta illa quidem,
& antiquata, atque extincta prorsus, uos renouare, uos e tenebris
eruere, & in lucem reuocare quæritis. Stulti, & nescii bonorum ue-
strorum. Recognoscitis, arbitror, Patres tum exprobrationes tum
illecebras, quibus aduersarius noster specie recti se insinuat in animos
nostros, quem si benigni semel audieritis, si splendore falsi boni obie-
cto, aciem ingenii uestri perstringi patiamini, siquid denique plus
apud uos ualeat, quam publica utilitas, prædico, & prænuncio uobis
nihil ageris, susceptum onus aut perfide abiicietis, aut propter animi
imbecillitatem deponetis, spem, quæ extrema nobis pender, falle-
tis, Conciliorum denique dignitatem, & auctoritatem, quæ initio na-
scentis Ecclesiæ magna fuit, & bene constituta Repub. maxima fu-
tura est, imposterum omnem elauabit: Nostra, Patrumque nostro-
rum, & Auonem memoriam Synodus indictas fuisse, episcopos con-
uenisse, maximos in Germania, atque in Italia conuentus peractos
esse scimus. Vix tamen ullus, aut perexiguus inde fructus Christia-

92

nitati constitit. Nolo subtilius in causas inquirere, nolo rumores uentusque colligere, hoc prætermittere certe non possum, quod uereorie nimis ad rem pertineat, minus legitima, minus libera fuisse dicuntur illa Concilia, qui aderant ad uoluntatem alterius semper loquebantur, aut potius annuebant, qua re, nulla in iudiciis perniciosior, nulla ue capitalior esse potest. uos quotquot in Dei nomine huc conuenistis, non deliberantium modo, sed iudicantium personam geritis statuendi, diffiniendi, decernendi, spiritu Diuino suggerente, ius facultatem, & potestatem sine ulla exceptione habetis, hanc facultatem, & libertatem diuinitus uobis concessam, ex optima, & uetere illa disciplina Conciliorum, Carolus Rex noster, uel suo solus periculo sita sit necesse sartam, & rectam ordini uestro conseruabit, in eam enim causam potissimum hæc legatio decreta est. Quod si in priuatarum rerum iudiciis defundo, & illicidio ubi agitur, sententiam suam ad alicuius gratiam accommodare, turpe haberi debet, & seuerissimi legibus nostris uindicatur, quoniam quæso supplicii genere digni sunt, qui de rebus Diuinis, conscripti Iudices, dignitatis parum memores, in censendo uel auram captant popularem, uel principibus, quibus obnoxii sunt, turpiter se uenditant, uel ex aliorum dictatis, & præscriptis, cogata tanquam mancipia, sententiam ferunt: æternis certe tenebris, & uinculis leues isti, & nummarii Iudices mandandi sunt. Hanc quærelam habuit ætas superior. Ne idem quoque posteris, qui incorrupte iudicaturi sunt, de uobis existiment & loquantur inagnopere est prouidendum. Atque etiam ut recti ad homines esse positus, ad Deum immortalem qui poteritis esse: qualis enim quisque sit, quid agat. quid in se admittat, de coelo intuetur, cernit cupiditates nostras, & cogitationes omnes, uidet quid in calculo ponendo spectemus, quid in suffragiis, & sententis sequamur. Num tacitis, & compressis aliis ardeamus, num adulemur, num gloriæ cupiditate efferamur, num contentionis studio nimio, præsentem, & oblatam ueritatem recusamus accipere, num leuissimas delectationes, grauissimæ utilitati anteponamus, num aberremus, & hallucinemur, prudentes, scientesque num denique Imperatorum, aut Pontificum, aut Regum liberalitates erga nos turpissimo obsequii genere gratioso scilicet calculo, & iudicariis tabellis prouocare, atque elicere cupiamus. Quod si quid eiusmodi in his conuentibus peccetur, quanquam secus existimamus, freti uestra bonitate, ac pietate, si peccetur tamen, nihil est præterea, quo confugere possimus. Mihi hercle omnia iam addicta uastitati uidentur esse: Vtinam longe a ueritate, a con

iecura certe non multum aberrabo. Ruet disidiis Christiana Ciui-
 tas, ardentem, & flagrantem intestinis bellis cernemus europam ci-
 uilis ferri aut subeunda nobis erit crudelitas, aut saltem funerum pa-
 triæ spectatores cogemur esse, a quorum causa belli fortuna steterit, ab
 iis stabimus omnes, quæ mihi profecto tam uidentur esse misera & mi-
 seranda, ut ad earum cogitationem totus perhorrescam. Quamobrem
 excitamini patres, & incumbite in eam curam dies noctesque, ut hoc
 quod ægrotæ ac prope desperatæ Reipub. Christianæ unicum reme-
 dium est, non frustra exoptatum a nobis, non temere a uobis, adhibi-
 tum esse uideatur. Et cum ex nonnullorum fortasse conciliorum inui-
 dia hæc Synodus laboret, curare, ut omnes intelligant abiisse illud
 tempus, mutatam esse rationem, patere nunc aditum unicuique ad
 disputandum, non flammis hic disceptari, non fidem frangi, non agi
 præiudiciis, ueritatis disceptationem integram esse, quippe cum una
 eademque semper sit ueritas, ex omni æternitate fluens, spiritum san-
 ctum hic adesse, hic præsidere, illius denique instinctu, & affatu de pu-
 blica utilitate agi, de pacificatione communi, nec non ecclesiæ totius
 conciliatione, & restituenda uetere eius disciplina hic tractari rite, le-
 gitimeque. Operepretium est Patres, ut rem ita se habere intelligant,
 & animorum uestrorum contentiones huc sciant pertinere, ad hanc
 quippe fammam maxima illa, & nobilissima europæ pars Germania,
 pro qua potissimum laboratur, uelut e summo excitata, conueniet, le-
 gatos mittet, aderit hic uobiscum, suos de religione sensus exponet
 familiariter, suosque intimos nudabit dolores, sic denique contrariis
 opinionibus iam pridem dissecta, & diuisa, atque ob id ad omnes
 externas, & suas quoque iniurias opportuna Christianitas in unum,
 tanquam corpus coalescet. Erit terra labii unius, & cordis unius,
 ut quidam ait, equidem hanc uoluptatem, quæ incredibilis est, iam
 nunc mihi spe & cogitatione lubet præsumere. luoat oculis men-
 tis intueri, idem sentientes omnes Christianos, idem credentes,
 idem sperantes, eodem charitatis igne accensos, quam sane con-
 iunctionem, & diuinam animorum conspirationem ius nulla post-
 hinc reperitur, quæ perfringere, aut labefactare possit. Ut autem patres,
 quod suscepistis non mediocre munus alacriore animo conficiatis, Caro-
 lum Christianissimum Regem Francorum, quando is nos suæ uoluit esse
 nuncios, & interpretes uoluntatis, ad omnes Conatus focum fidelis-
 simum, et adiutorem fortissimum uobis futurum spondemus, ac religiose
 promittimus, Quem uero laudatorem actionum uestrarum, & assertor
 acerrimum perpetuo habebitis, eundem hic testem, & spectatorem eratis
 habi-

94

habitori, nisi tenella ætas insolens laborum, atque itinerum prohibuisset, aut potius nisi civilis tumultus terrores, in Gallia necessario retinuissent: Sed quod ille ceram studiose facturus erat, ut se suaque omnia ultro uobis offerret, id nos ut diligenter, atque officiose curaremus præcepit, & cum ex auctoritate sua aliquid accessionis ad id quod per uos agitur, fieri posse consideret, iussit, mandauitque, ut id ipsum uobis significaremus, cum magna testificatione singularis suæ erga uos beneuolentiæ, erga ordinem uestrum uoluntatis, atque obseruantia, erga Rempub. Christianam studii, pro quibus omnibus non fortunas modo, & facultates, sed etiam uitam, & sanguinem si opus sit cupiat effundere.



95
RESPONSVM SANCTAE SYNODI IN
ADMISSIONE ORATORVM RE-
GIS CHRISTIANISSIMI,

datum in Sessione Quarta Sacri Con-
cilii Tridentin. sub Pio pp. IIII.
die. IIII. Iunii:

M. D. LXII.



Xpectatus, iucundusque aduentus uester Illustris. D. a
Lanaco, uosque clarissimi Legati, sacrosanctae huic
Synodo, non modo summam animorum letitiam, sed
certissimam quoque spem attulit, ut quae uel tempo-
rum uitio, & infelicitate, uel potius perfidorum homi-
num scelere, & pertinacia, a prisca illa uerae religionis
puritate multis in Regnis, iam pridem in uarios, diuersosque haresum
errores defluerant, atque deciderant (ut uolumus, atque cupi-
mus) in pristinum dignitatis, ac synceritatis gradum reuocaremus.
Nam cum perditii homines suis consiliis, atque pertinacia, multos iam
annos, non modo Pontificum, atque Regum humana iura, sed etiam
diuina, ab Apostolorum iam temporibus, Christo ipso magistro, &
authore, partim uiua uoce per manus, uelut
haereditaria nobis ad bene beateque uiuendum tradita, atque relicta
suo arbitrio, atque libidine, ita uiolare, & perturbare ausi fuerint, nos
uis quibusdam licentiae, sacrilegii, impietatis, omnium denique sce-
lerum ritibus superinductis, ut ad unicum, salutareque sacri, oecume-
nici Concilii remedium a Pont. Max. Pio, solertissimoque Pastore,
tam libenter, quam necessario confugiendum fuerit. Quod spiritu-
sancto pralucente, tanta optimorum Regum, Christianorumque
Principum, non modo animorum consensione, sed etiam concor-

90

disimis omnium Christianæ Reipub. bene iuandæ studiis, susceptum est, & ornatum, ut breui Dei ecclesia multo purior, sanctiorque futura sit. Merito itaque Christianissimum Galliarum Regem, Carolum (in quo celerior est regiarum uirtutum, atque religionis cursus, quam ætatis) & laudamus, & admiramur: qui & Henrici patris, & Francisci aui, Christianissimorum Regum clarissimis nominibus, & erga sedem Apostolicam exemplis excitatus, atque inflammatus, cum per ætatem nondum confirmatum, & impios suorum, tam in se, quam in Christi Religionem tumultus, huic saluberrimo, sanctissimoque generali Concilio adesse non possit, uos præstantissimos uiros summa prudentia fide, ac religione præditos, legatos misit: qui illius nomine omnem operam, opes studium denique, & parendi obsequium (ut decet) sacrosanctæ Synodo liberalissime promitteretis, quam apud bonos, piosque, nulla aliorum Conciliorum, quæ nec legitima, nec libera fuisse, qui Conciliis male afficiuntur, parum uere obiciunt, inuidia laborare: qui recte senserit, facile ext. mabit, cum clarum sit sacra generaliaque Concilia, rite Christi spiritu ab eo, qui potestatem habeat, inchoata, riteque absoluta, & legitime semper fuisse habita, & libera, & ad hominum sanitatem, ac salutem, quantum per eos, qui spiritus sancto non resisterunt, licuerit spectasse, ac salutaria fuisse. Nec aduersus Tridentinum sacrum istud Concilium sathanæ insidie ac fraudes per uos copiose, subtiliterque enumeratæ, quamuis uariæ, atque ingentes, Christi spiritu præsidente, præualebunt, qui illius omnes conatus sua uirtute, & potentia, cui soli confidimus, in quo solo omnes nostras spes, ac cogitatus collocauimus, franget, subpedibusque nostris subternet: Nosque ab Ecclesiæ suæ sinceritate, ac ueritate, nec aberrare, nec decepti, aut a quoque cogi permittet. Itaque sedulam uestram, & liberam admonitionem Viri Clarissimi, ne scilicet in consultationibus, sententiisque nostris ferendis, aut popularem aurem capiemus, aut Principibus nostris obsequamur, ita enim mauult sancta Synodus sensum uestrum interpretari, ne quid præter mansuetum, piique propositum, atque institutum suum respondere cogatur, & si non necessariam fortasse, & superfluum existimat, tamen, ut a uobis bonis uiris, bona mente, atque animo profectam, ita in bonam quoque partem accipit. Et, ut uos isto uano metu, aliosque omnes liberet, sui que propositi, ac ueritatis certiores faciat, aperte prædicat, se cuius uoluntatem, potentiam, aut cupiditatem Sacrosanctæ Synodi dignitati, & authoritati perpetuo post habituram: quod ip-

97
sum uobis, aliisque, qui sacro huic Concilio ad sunt, aderuntue, respicla clarissime comprobabit. Itaque, ut tandem redeamus, sacrum hoc generale Concilium, Vos ita libenter accipit, & amplectitur, ut saluberrimi, sanctissimique huius celebrandi Concilii operis socios, ac participes habeat. Christianissimo uero Regi uestro Carolo, ita Regie, atque sancte educato, fidelissimisque, & Religionis amantissimis senatoribus, ac Consiliariis nunc ornato, ac munito, tantum se debere fatetur, ut quæcumque ad ipsius honorem, dignitatem, Regni statum, ac Religionem tuendum, ac conseruandum pertineant, libentissime præstaturam se polliceatur, quæ salua fide, & Religionis puritate præstari poterunt, tantoque libentius, ac iucundius præstabit, quanto certius, firmitusque existimat, nihil a uobis præstantissimis uiris, religionisque amantissimis Regis uestri Christianissimi nomine postulatum iri, nisi quod honeste, iuste, religiose per tales Viros postulari, & a Sacrosancto Oecumenico Concilio, e Religionis Christianæ dignitate, & sinceritate sancte præstari possit, & debeat. Et mandata uestra libenter, & prout iuris est accipit, & admittit.



BIBLIOTECA
COMUNALE
TRENTO

T
0
op. f
112

Misc. I. C. c. 126

9

67

ORATIO HABITA

A GVIDONE FABRO ORATORE

VM REGIS
GENERALI
quenter.

NODI IN
RVM EIVS-
in sessione quar
sub Pio. PP.
M. D.



E:
AD INSTANTIAM Petri Antonii Alciatis:
M. D. LXII.